Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 457
Quelle:
Copyright:

tas *Hulna* pro *ultima*, *celſarum Romanarum turrium* pro *cellarum* &c. Adi et *Cod.* CCCXXVI.

III. *fol.* 39. *ἀνεπιγραφως* Commentarius brevis in Joſue, cujus initium: *Moyſes populum dei de egipciaca ſeruitute eductus et per deſertum tribus diebus ad montem dei ſinay peruenturus locutus eſt Pharaoni dicens. Dimitte populum domini* &c. Methodus Autoris eſt, prolixum Textus locum praemittere, illumque dein minutim ad Allegorias detorquere. Itaque et his utitur formulis: *Taxſato iſtorie fundamento Allegoriam et Moralitatem ſuperedificemus. Hiſtoria taxſata quaſi fundamento ſupereducemus allegoriam uel moralitatem* &c. Ultima ſunt: *In fine enim mundi iudei et gentiles in fide chriſti mortui requieſcent in morte et ſepultura ipſius chriſti.* Nomen Autoris non indiligenter quaeſitum ignoro.

CLXVI. IX F. 23

508 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 208. 4. non una manu exaratus, rubricis tamen diſtinctus et olim *S. Pantaleonis in Colonia* O. S. B. Varia complectitur, quae ordine indicanda ſunt: I. *Godfridus viterbien. in Cronica ſua que dicitur Pantheon ſcribit inter alia de omnibus Sibillis et de nominibus earum et de patria et origine et actibus ipſarum a diebus Alexandri magni.* Haec rubro et deinceps Excerptum, cujus initium: *Sibille generaliter omnes femine dicuntur prophetantes* &c. prout extat *Chronici cit.* P. X. T. II. *Germ. Scriptor. Job. Piſtorii* edit. *Ratisb.* 1726. p. 157. f. usque ad notos Verſus: *Judicii ſignum tellus* &c.

II. *fol.* 12. *De Teſtamentis XII. Patriarcharum videlicet de Chriſti Natiuitate Paſſione Reſurrectione Aſcenſione et de die Judicij extremi prout in libro videlicet in Speculo Hyſtoriarum continentur. Vincentii Bellovac.* O. P. *Speculum Hiſtoriale* intelligit Noſter, cujus L. II. c. 125 — 29. leguntur, quae hic adfert. Praemittitur tamen: *Hec ſunt Teſtamenta XII. Patriarcharum in quibus apertiſſime atque pulcherrime de Chriſto Prophecie, quas nuper tranſtulit Magiſter Robertus groſſumcaput* (Grosthead) *Linconen. Epiſcopus de Greco in Latinum.* De qua re dictum ad *Cod.* LXXXIX. Adhaerent Verſus illi de X. Plagis *Aegypti: Prima rubens unda* &c. Aliquid de *Interitu Pharaonis.* Locus e *Vitis PP.* de Diis *Aegyptiorum.* De Morte *Moyſis* e *Joſepho* et *Hieronymo.* Verſiculi illi: *Judicii ſignum* &c. e N. 1. huc dilati. Demum Praedicta de Chriſto a *Balaam, Sibyllis, Ovidio, Virgilio* cum vexato *Fl. Joſephi* de Eo Teſtimonio, et inepta Praedictio in an. 1420. Decaſticho comprehenſa, quae incipit:

Gallorum leuitas germanos iuſtificabit,